



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Cura Dei erga Adamum, Noë, Agar, & Isaac Patriarcham.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

et in mantis suis tunicas et vestes portant, quas cum voluerint, poterunt immutare. Fratribus illis aqua pedes curare recreari, quia eos sudoribus et luto fordidos afferunt: Monachis autem vestris idem non facio, quia equis altioribus insidentes ab immunditibus talibus possunt conservari. Hoc responsum ubi Abbas, ubi Monachi, ubi Moniales audiuerunt, risu leporem, silentio et admiratione tacita sapientiam Antistitæ approbaverunt.

- V I. Ad eundem modum diuina Prouidentia iudicat iuandos, qui aliunde destituuntur; aliunde autem sibi nimis attentè anxietate prouidentes censet ope destituendos. Nudus erat Adam, nec dum sartor fuit in terris, qui eum Melitensi veste tegeret: & ecce non dedignatus est Orbis Conditor officium subire pellionis: nam fecit Dominus Deus Adæ et uxori eius tunicas pelliceas, et induit eos. Qui etiam hodie multos induit, quos milites exuunt spoliantque. Cur enim nudos esse sineret homines, qui aues plumis, pisces squamis, quadrupedes corijs pilisque tegit? Ingressus erat in Arcam, cum animantibus, Noë, sicut praeceperat ei Deus: et inclusit eum Dominus de foris. Ecce quia nemo fuit, qui ostium foris obleraret aut obli- maret, Deus ipse Noëticiæ familiæ voluit esse ianitor. Agar ancilla, affligente eam Sarai, fugam inijt. Fugit homines affligentes, inuenit Gen. 16. 7. Angelos consolantes. Et rursus, alia vice, cum filio eiecta errabat in solitudine Bersabee. Cumque consumpta esset aqua in vitro, abiicit puerum subter unam arborum, quæ ibi erant. Et (relicto eo) abiit sedens, è regione procul, quantum potest arcus iacere. Dixit enim: Non video morientem puerum: et sedens contra, leuauit vocem suam, et fleuit. Sic ab ipsa matre sua destituti exaudiuit Deus vocem pueri: vocauitque Angelus Dei Agar de caelo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco, in quo est. Sic filio matri, Gen. 22. 10. matri puteus et aqua à Deo est data. Alter quoque filius Abrahæ Isaac, non iam à matre destitutus, sed à patre lignis et aræ impositus, atque in victimam ligatus, cum eò deuenisset, ut ictum expectaret et ferrum ceruice reciperet (iam enim Abraham extendit manum, et arripuit gladium, ut immolaret filium suum) ab omni alio auxilio desertus, de caelo subsidium accepit. Siquidem Angelus Domini de caelo clamauit, dicens: Abraham, Abraham: Qui respondit: Adsum. Dixitque ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam. Ad hoc auxilium Deus iam tum respexit, cum Isaac

Isaac iussit victimari, de quo tamen Abraham longam spondit posteritatem.

Actum fuisset de Jacob, quando Laban, assumtis fratribus suis, persecutus est eum, diebus septem: & comprehendit eum, in monte Galaad; nisi vidisset Laban in somnis sibi dicentem Deum: caue, ne quidquam asperè loquaris contra Jacob. Longè fortior tunc erat Laban, & ad internecionem potuisset extinguere Jacobum; sed deserto, ab ope humana, diuina succurrit manus. Qua de causa dixit Laban: *Nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Caue, ne loquaris contra Jacob quidquam durius.* Igitur, nesciente Jacob, causam Jacob egit, Deus: quem, ut amicum, sic habuit & protectorem, etiam tunc, cum Esau in patriam reuertenti properauit in occursum, cum quadringentis viris. Nam timens Jacob, & se iterum multitudine inferiorem, rémq; humanitus desperatam videns, ad cæleste auxilium confugiens, dixit: *Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac: Domine qui dixisti mihi: Reuertere in terram tuam &c. Erue me de manibus fratris mei Esau, quia valde eum timeo: ne forte veniens percutiat matrem, cum filiis.* Sic orauit, & Angelum impetrauit luctatorem, immò consolatorem ac dicentem: *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praualebis? Quia ergo, in periculis fratrum quoq; gratiarum, immò quia ab ipsis fratribus sæpe periculum maximum existit, potuit Jacob haud absone illud vsurpare: Frater non redimit, redimet homo? quid in meis famulis spei ponam, si frater ipse mihi est metuendus? Ergo confugiam ad Deum & dicam: Erue me de manibus fratris mei.* Quod & fecit Deus, nam, Esau illi occurrente, succurrit.

Non contra vnum fratrem, sed contra multos eum occidere statuentes, adfuit Iosepho quoque benignus Dominus; cui & adfuit in ipso carcere, nec enim in vinculis dereliquit eum, cum ab omnibus hominibus dereliqueretur. O quàm sæpe homini homo est lupo, quem non solùm in fluctibus deserit, sed etiam mergit! Quàm sæpe frater sit fratri, quod Romulus fuit Remo, quod Cain Abel? Utinam tunc crederetur, in cælo superesse, qui brachium suum manumque auxiliatricem porrigere vult in terram, dummodo sit, qui respiciat eam, nec frustra sinat extendi.

Mirabile exemplum est in Israëlitis ex Ægypto egressis vsque ad mare rubrum. Ibi cum hinc montibus clauderentur, inde

VII.

Gen. 31. 23.

Gen. 32. 6.

Gen. 32. 9.

Psal. 48. 8.

VIII.

Gen. 37.

Gen. 41.

IX.